

Sermo

It

pentecostes: quando spiritum in li-
guis igneis super apostolos misit
Alia ratio est, quia contempsit delectabilia mundi et aspera elegit. **Unde bernardus.** Elegit tempus quod molestus erat paruulo et pauperis matris filio: que vit pannos haberet ad inuoluendum, presepe ad reclinandu. et cum tanta esset necessitas: nullam audo fieri pellium mentionem. **Non** est tale iudicium mundi, aut iste fallitur, aut mundus errat. **Impossibile** est diuinam falli sapientiam. **Elegit** utique quod carni est molestius, id ergo melius, id utilius et qui aliquid docet aliud vel suadet: ab eo tanquam a seductore timendum est. **¶**
Locum gaudij designat: cum dicit. **In** bethleem iude civitate dauid, sicut predictum fuerat michae. v. **Tu** bethleem effrata: ad differentiam alterius bethleem que sita erat in galgalis, et dicta est effrata ab vxore caleph tibi sepulta. **Sed** post dicta est bethleem propter fertilitatem que facta fuit diebus ruth. **Sequitur** paruulus es, scilicet vicus, in milibus iudea, id est in comparatione aliarum ciuitatum in quibus sunt tot milia hominum: et tamen ex te egredietur qui sit dominator in israhel, id est christus rex regum et dominus dominantium. **Bernardus.** O bethleem parua: sed iam magnificata a domino, magnificauit te qui factus est paruulus in te et magno. **Quilibet** ciuitas si audiat non inuideat preciosissimum illud stabulum, et illius presepi gloria in vniuersa liquet terra et iam celebre est nomen tuum, et beatam te dicunt omnes generationes. **Unde gloria** dicta sunt de te ciuitas dei, ubique

Decimustercius

¶

psallitur, quia homo natus est in ea, et ipse fundauit eam altissimus. **Tu** quoque si fueris bethleem per cordis compunctionem: ut sint tibi lacrimae tue panes die ac nocte, et earum refectione iugiter delecteris. **Interpretatur** enim bethleem domus pais, vel domus refectionis, et si fueris iuda per oris confessionem, et ciuitas dauid per operis satisfactionem nascetur christus in te, et dabit cordi tuo gaudium et letitiam per gratiam in presenti et gloriam in futuro. **Quod** nobis concedere dignetur pater et filius et spiritus sanctus.

In die sancti Stephani.

Epistola. **¶** Actuum. vi. et vij.

In diebus illis. **Stephanus** plenus gratia et fortitudine faciebat signa et prodigia magna in populo. **Surrexerunt** autem quidam de synagoga que appellabatur libertinorum et cyrenensium, et alexandrinorum, et eorum qui erant a cilia et asia disputantes cum stephano: et non poterant resistere sapientie et spiritu qui loquebatur. **Audientes** autem hec dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus suis in eum. **Cum** autem esset stephanus plenus spiritu sancto: intendens in celum vidit gloriam dei, et ihesum stantem a dextris: et ait. **Ecce** video celos apertos: et filium hominis stantem a dextris virtutis dei. **Exclamantes** autem voce magna conuerterunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter